

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Fab. IV. Homo et Asinus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

fuisse, satis certe scio. Te vero, insestarum quae abiectissima, et quod vix abigi possis priusquam impudenter humano explearis sanguine, omnibus omnium maxime molesta, maiori etiam meo incommodo enecare voluisse. Haec fabula demonstrat, veniam illi magis esse paratam, qui casu et imprudens peccat, quam illi, qui studio et ambitione quadam quasi nocere, suaque scelera cumulare non veretur. Cuius adeo perpetua peccandi voluntas: in illum poenam grauiorem esse constitutam, nemo dubitabit.

FAB. IV.

Homo et Asinus.

Quidam immolasset verrem quum sancto Herculo pro salute votum debebat sua, (culi, Asello iussit reliquias ponи hordei.

Quas aspernatus ille, sic locutus est:

Tuum libenter prorsus appeterem cibum,
Nisi qui nutritus illo est, iugulatus foret.

Huius respectu fabulae deterritus,
Periculorum semper vitaui lucrum.
Sed dicis, qui rapuere diuitias, habent.
Numeremus, agedum, qui depensi perierint:
Maiores turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas est bono, multis malo.

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Cum aliquis Herculii, Iouis sancto filio, cui pro felici rerum euentu vota nuncupaverat, suamque acceptam referebat salutem, iam diu probe saginatum immolasset verrem:

I

quod

quod reliquum erat hordei, gratum asino cibum apponi iussit. Ille vero domini tantam aspernatus gratiam, hordeum degustare noluit, ac recenti verris, inquit, sum deterritus malo. Illa, quamuis desideratissima, iam mihi minime omnium placet esca: qua qui liberalius fuit enutritus, eum nuper iugulatum fuisse noui. Huius fabulae argumento deterritus ego diuitias nolui magno mihi parare lucro, quod maximo cum periculo solet esse coniunctum, quoad omnia maleuolorum insidiis lacerata concidant. Fabulae! inquieres, num etiam te fugiunt, quae satis aperta, facilius iam parta tueri atque gaudere possidentes? Audaces, fateor, aliquando fortuna iuuat. Eorum vero nouimus partem esse longe maximam, qui sua semet opera in calamitates praecipitarunt: dum quas oculere quo quis modo studuere, minime tamen gentium euitare potuerunt, quin vel propter rapinam facti sint rei, et capitis saepe inierint periculum. Paucis lucri studium profuit: multos vero spes vana fefellit; aut opibus graues sibi sensim sine sensu exitium parauere.

FAB. V.

Scurra et Rusticus.

Prauo fauore labi mortales solent,
Et pro iudicio dum stant erroris sui,
Ad poenitendum rebus manifestis agi.
Facturus ludos quidam diues nobilis,
Proposito cunctos inuitauit praemio,

Quam

